

lerent, profecturi erant: verum si aliter Cæsari videretur, aliisque de pace agendum censeret, quæ illius voluntas sit, libenter audituram. Hæc fundamenta pacis jaciebantur, in quam etsi Cæsar's animus maxime propendere videretur, tamen eodem tempore suspectos adhuc principes tenebat; Antonio præsertim Leva suadente, quod indignum diceret, a Sfortia, ut Ticinum, atque Alexandriam Clementi depositi loco traderet, Cæsarem impetrare non potuisse. Itaque illo permittente, Ticinum magnis viribus oppugnare parat; bellicas machinas, militaria tormenta adducit: cuncta ad oppugnationem necessaria instruit. Annibal Picenardus urbis præfactus primum, quod dum de pace ageretur, nihil sibi hujusmodi verebatur, contemnere; re acrius urgente, cum commeatus vix in duos menses suppeteret, præsidio imminuto, quod ad sancti Angeli oppidum, quo Leva exercitum ducere simulaverat, magnam militum manum præmisisset, paucique admodum ad urbis præsidium reliqui essent, priusquam illam hostes adorirentur, pacta sui, ac militum incolumitate, non sine avaritiæ, vitæque anteactæ nota, Cæsareanis tradidit. Pontifex Roma iter per Picenum, ac Flaminiam Bononiam versus arripuit, urbem viij. kal. novembris ingressus. Cæsar vij. kal. Placentia profectus, per Regium, ac Mutinam eodem se contulit; a Pontifice solemni ritu, ac more honorifice excipitur; Gasparremque Contarenum, Reipublicæ apud Pontificem oratorem, qui Clementem comitabatur, Imperator alloquitur. Statimque de pace agi coepit; quo in negotio maximis de rebus agitandum erat; de Flaminia, atque Apulia urbibus; de firmando rerum Italicarum statu; de Francisco Sfortia in avito imperio retinendo; de veteribus inter Ferdinandum, ac Rempublicam diffidiis componendis. Verum præter cetera Francisci Sfortia negotium summis difficultatibus implicitum videbatur; neque enim Cæsar adduci poterat, ut Mediolanum Duci, a quo summis se affectum injuriis prædicabat, libere restitueret. Sfortia, ut, quoquo pacto Insubribus potiretur, nihil sibi omitendum ducebat: quæ nuper Antonius Leva in Ticino occupando adversus illum gesserat, remorabantur: addebat animos propensa Imperatoris in pacem mens: at se penitus Cæsar's fidei committere verebatur. Itaque ancipiit dis-

*Antonius  
Leva Ticinum  
aggre-  
ditur, & per  
deditonem  
occupat.*

*Clemens &  
Cæsar Bo-  
nonia con-  
veniunt.  
Agitationes  
de pace.*